

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Ad Svmme Reverendvm Virvm Christian. Weisivm
Theolog. Licent. Et Profess. Pvbl. Extr. Ad. D. Nicol. Aed.
Diaconvm V. Id. Febr. MDCCXXXI. Doctoris Theologi
Honores Svscipientem De Vtli Divinae ...**

Ibbeken, Hero Anton

Lipsiae, MDCCXXXI.

VD18 14875462-003

[urn:nbn:de:gbv:45:1-692744](#)

A D
S V M M E R E V E R E N D V M
V I R V M
CHRISTIAN. WEISIVM
T H E O L O G . L I C E N T .
E T P R O F E S S . P V B L . E X T R . A D D . N I C O L . A E D .
D I A C O N V M
V . I D . F E B R . C D C C C X X X I .
D O C T O R I S T H E O L O G I
H O N O R E S
S V S C I P I E N T E M
D E
V T I L I D I V I N A E R E V E L A T I O N I S
D E M O N S T R A T I O N E
D I S S E R T A T I O
H E R . A N T O N I I I B B E K E N
O L D E N B U R G E N S I S .







* * *

uum multa sint, VENERANDE WEISI, quae summum mihi in TE studium, summamque reuerentiam imperant, tum ea in primis ratio, qua sanctissimae reuelationis praecepta tradere soles iis, qui TE audiunt, in eximiam me pridem pertraxit doctrinae virtutisque TVAE admirationem. At quam perspicue doceas, quam non fucate, quam solide et quanta cum dexteritate, id ego, nec mea, nec ullius multa oratione declarari opus esse arbitror, quum ii, quibus de his iudicare rebus datum est, summas TIBI eo nomine laudes sponte decernant. Non enim angustis acroaterii parietibus terminatur praeclera haec persuadendi veri facultas, ut intra confluentium illic iuuenum conscientiam subsistat; sed latius profutura omnium occupat animos, qui operam dare TIBI pandenti pro concione diuina oracula, eademque vindicanti, summa cum voluptate maioriique cum fructu solent. Iam vero, quum eos TE videant honores capeſſentem, qui TE vnicē TVIque similes decent, communis omnium TE prosequitur pietas, TIBI dignitatis accessionem, sanctiorum vero literarum cultoribus et vniuerso adeo christianorum hominum coetui, fidum caelestium decretorum interpretem vindicemque fortissimum, omni nunc honore condecorandum, gratulatura. Cui ego laetantium choro cum ob proprias causas tum ob communes non possum non interesse.

Eas vero meditanti mihi multumque animo reuelenti plurimum voluptatis attulit insignis illius studii TVI recordatio, quod per integrum annum auctoritati sacrorum librorum publice stabiliendae consecrasti. Quo in negotio quam dextre et nauiter TVA sit versata industria, illi praedicent, quibus cum veri amore aequa facundiae vis concessa est; mihi quidem id relinquant, vt TVAS hac in re praeceptiones per omnem vitam impense mihi gratuler. Sed carere TV fortassis omni isthac opera potuisses, ego etiam gaudii mei testificatione, si sequendum esset eorum consilium, qui suam hic a TE et iis, qui TECUM sentiunt, seiungendam esse opinionem arbitrantur. Sunt enim ex iis, qui diuinis religionis nostrae natales et ipsi venerantur, quibus vel omne hoc confirmandae eiusdem

dem diuinæ originis negotium abiiciendum esse videtur, vel saltem remissius agendum, nec tam multam in eo ponendam esse operam. Ex quo fit, ut nostri huius et superioris saeculi vberimum eius generis librorum prouentum non ita vtilem esse christiano-rum rebus, atque persuasum est multis, existiment. Contra quos quae dici posse videntur, volui ad T E, VIR SVMME REVERE NDE, et aequissimum litis huius arbitrum, imo vero et caufae meae, si recte auguror, fauentem, paucis prescribere, quum nec indignam esse putem hanc quaestionem, propter quam iudex se-deas, nec a festi huius diei celebritate prorsus alienam.

Vt expeditior fiat diiudicationis ratio, exponendam breuiter ducimus sententiam nostram, et quidquid inesse verbis incerti poterat et ambigui, praecidendum. Nulla nunc nobis cum iis intercedit altercatio, qui omnibus omnino rationibus, quae ad affirmandam sacrarum literarum summam auctoritatem afferuntur, irrito quidem sed nefario ausu contradicunt. Ab iis potius hic discedendum nobis esse putamus, quibus ipsa haec persuasa est auctoritas, quam quippe, ut concedatur ab omnibus, non admodum illorum egere studiis existimant, qui in eadem argumentis firmanda industriam suam collocarunt. Quibus vero hacc placet opinio, quum facile illi cuius obueniant, non operosi in cogendis nominibus erimus, quoniam de ipsa re disputatio instituitur; at cuncta hic in rationum momentis sunt posita. Intelligitur fere ex his, quae diximus, argumentorum a nobis commendandorum conditio. Quum enim, qui sunt hica nobis alieni, libenter admittant illum probationis neruum, qui est in efficacia diuinæ veritatis collocatus, et non admittant modo, verum etiam tantum non vnicce vrgeant; frustra profecto nostra nunc versaretur opera in defendendo hoc concludendi modo, quo ex effectus ratione causa perspicitur. Ut itaque breues simus, de iis nos loqui rationibus significamus, quae tum ex ipsa reuelatione, tum ex fatis eius deductae, internarum et exteriarum nomen nactae sunt. Neque vero, ut hoc quoque adiiciamus, eo consilium nostrum pertinet, ut argumentorum, quae indicaui-mus, rationem examinemus, et quae singulis insit persuadendi virtus, exquiramus. Qui enim nobis aduersantur, non illi profecto conuelere ista cupiunt, nec reddere fidem eorum suspectam, sed sedula illo-



illorum explicatione et strenua ab aliorum obiectionibus vindicatione facile nos carere posse putant; quo tamen officio tanta eruditorum hominum copia functa est, ut laboribus horum recentendis integer vix sufficerit summi Fabricii liber.

Iam, ut utilitatis ex his conatibus profecturae demonstracionem ab eo ordiamur, quod facile dari nobis diximus, prima sententiae nostrae confirmatio ab argumentorum eorum iusta conditione, iure, si quid videmus, repetitur. Cui si hoc addatur, ut ipsa propositionis credita veritas, iisdem innixa, multum emolumenti afferre putetur humano generi, efficitur ex eo id, quod effici volumus. Iam quis est, eorum in primis, qui pari nobiscum cultu sacros libros prosequuntur, qui maximas et egregias utilitates, ex concessa eorundem diuina origine, redundare in homines, negare ullo modo ausit? Quum igitur in omnium propositionum solida demonstratione, earumque in primis, quae persuasae felicitati hominum plurimum inseruiunt, omni industria, cura, et studio versandum sit, nescio profecto, qui fieri illud secus in causa nostra debeat. Quae enim illic animos excitat causa, eam et hic studia nostra prouocare video. Est ea communis fors omnis veri, ut eius autores de certo conaminum fructu bene sperare possint. Hunc illi consequi solent, quoties propositionis allatae in medium cum principiis coniunctionem declarant; quod fit per argumenta. Argumenta vero eas interpretor propositiones, quae principia, et id, quod probandum duximus, quasi interiacent, ut utrinque iunctae, quoniam a principiis propriis sunt remotae, remotioris nexum dilucidius ob oculos ponant, faciliusque adeo eiusdem veritas peruidatur. Qua argumentorum explicatione quum omnes ad veri perspicientiam ducantur, qui eo perueniunt, relinquitur, ut aut idem efficiatur expositis pro diuina reuelatione argumentis, plurimumque ea propter emolumenti deriuetur in homines, aut omne, quod ad declarandum verum assertur studium, superuacaneum esse censeamus, et vel parum vel nihil plane utilitatis allaturum.

Quae quum ita sint, nescio sane, quid dici contra queat, nisi forte hoc est, ut argumentorum multitudine opus non esse existiment, et, quum pro caelesti sacrorum librorum origine pugnet illud, quod est ab interiori diuinae virtutis perceptione ductum,



posse caetera aequo animo mitti. Hic vt ad obiectationis causam primum respondeam, in eius me discedere posse sententiam diffiteor, si quis rationum multitudinem omnem omnino contemnit habeat. Rechte, si quid intelligo, obscura reprehenditur diligentia eorum hominum, qui, temere omnibus coaceruatis, numeri potius, quam confirmandi virtutis rationem habent, ita, vt eo felicius homines in suas se tracturos esse partes sperent, quo plura producant in aciem argumenta, indigna quidem illa hoc nomine et leui conamine fuganda. At, si quis multa inueniat, quae plane ad demonstrationem faciunt, illis putem omnibus cum fructu vtendum esse. Habet enim hanc vtilitatem iste numerus, vt amicam, quae inter sententiam tuam aliasque complures intercedit propositiones facile dandas, conspirationem, explicatius declareret. Ex quo id prouenire solet commodi, vt et persuadeatur certius, et saepius, quod maxime conductit, in memoriam redeat. Quamuis itaque sanctissimae reuelationis efficacitati nihil prorsus velimus detraetum, tamen ob eam, quam attulimus, causam, vtiliter venerandam bibliorum originem et iis, quae ante sunt definita, argumentis stabiliri posse, vtique censemus. Nec deest alia quaedam eademque insignis multitudinis rationum vtilitas. Accidit enim saepius, variisque ex causis, tum ex legentis audientisque animi ratione, tum ex argumentorum conditione petendis, vt, quae his sufficiunt, parum possint apud alios, quorumque explicatio multum aliquando mouit hominis alicuius animum, eadem, si alio exponantur tempore, nihil fere efficere queant. Cuius quidem rei hic ideo a nobis iniicitur mentio, vt diuersa hominum ratione cum argumenti illius, quod paullo ante attigimus, conditione comparata, de argumentorum internorum externorumque, quae vocantur, et vtili expositione et summa dignitate, aequum ferri possit iudicium. Ita vero vtrique confirmationis modo suum pretium suaque virtus, ita, vt fieri fas est, adiudicabitur.

Hunc in modum existimandum esse, si quis est, qui eat inficias, videat ille, ne sit in eos, quos maxime veneratur, admodum iniurius. Neque enim istae, quas diximus, rationes eruditorum virorum, qui haec recentiora tempora illustrarunt, perspicaciae ingenioque debentur, sed sunt illae sanctorum Dei ministrorum, immo ipsius



ipius sospitatoris exemplo nobis commendatae. Quod ipsum ignotum esse nemini, aut obscurum poterit. Illud, quod est a vaticiniorum euentu, nonne ipsi declararunt dilecti deo homines, quibus, ante natum inter mortales Christum, futurae res diuinitus fuere patet factae? Cognita omnibus est distincta illa Messiae responsio, cum discipulis Ioannis, praenuntii, communicata. Ea igitur, quo faciant patrata miracula, satis docet, simulque rationem complectitur, quam modo dicebamus prophetiarum euentibus inesse. Praeterea, ut nec hoc mittamus, quis est in diuini voluminis lectione vel mediocriter versatus, qui nihil in eo de fide, quam dicunt, historica sacrorum auctorum reperiri contendat? Nos vero et his et aliis fusius enarrandis non immorabimur, quum et pateant facile, et in theologorum libris enucleate satis explicata deprehendantur. Quod si itaque usi sunt his, quae adhibenda putamus, argumentis et prophetae et apostoli, diuini homines, et, quod praecipuum est, venerandus religionis nostrae auctor, quis perperam illos egisse, studioque nihil vel parum profuturo defunctos esse, affirmare audeat? Quum autem nemo temere existimauerit, adeo immutatum esse his nostris temporibus humanum genus, ut negligendae nunc et fere abiiciendae videantur prolatae ab illis diuinae reuelationis causae, praeclararam, intelligitur, nauare operam, qui, tam graues auctores sequuti, eandem commendandae caelestis doctrinae viam ingrediuntur.

His ita expositis non opus esse videtur, ut multi simus in enumerandis propriis commodis, quae ad animos hominum diuersimode compositos referantur. Duplex hic genus occurrit; ad quorum alterum qui pertinent, regeniti vocantur, iregeniti, qui alteri generi subsunt. Atque illi quidem, quos postremo loco nominauimus, admodum moueantur necesse est, ut cupidi accedant ad libri eius lectionem, quem, verbi causa, praedictiones complecti audiunt, longo post tempore exitu comprobatas, docere de moribus, quae vix acutissimi assecuti sunt gentium philosophi, eiusmodi praeterea de hominum post mortem conditione, de cultus diuini ratione aliaque, quae frustra quaerit humana industria, eademque cum certissimis naturae principiis, iisque, quae necessaria inde consecutione intelliguntur, minime pugnantia. Quo quantum



tum efficiatur, quilibet nullo negotio perspicit. Ut vero nec illos praetermittamus, quos primo significauimus, et his, patet, argumenta eiusmodi commode explicari. Quamuis enim certain fidei tesseram pectore sancto condant, tantum tamen saepe potest fortunae aduersitas et calamitatum irruens agmen, ut, permittente ita Numinis consilio, variis fluctuationibus identidem agitantur. Non prorsus sufficit hic illa de diuinae virtutis sensu ratio, quam illi non fere experiri conqueruntur. Utiliter itaque ad ea confugiant argumenta, quae intellectu percepta, et dignam esse diuino ortu hanc, qua laetamur, reuelationem et omnino caelitus nobiscum communicatam esse, persuadeant. Sed si vel ista causa absit, est tamen, quae has illis rationes commendet, alia, nec illa parvula pendenda. Etenim, dum mixtos deprehendemus bonis improbos, non deerunt profecto ex hoc genere homines, quod, pro peruerso ingenio, iniicit sacris profanas manus et labefactare religionis fundamenta eo conatur audacius, quo ingentius discrimen inter diuina eius paecepta et horum hominum scelestia studia interest. Quorum sane ausibus fortiter erit eundum obuiam; est enim periculum, ne summo cum detimento venenata eorundem tela, si quidem non strenue retorqueantur, inhaereant aliorum mentibus, ut adeo late serpat pestifera contagio. Hinc omnium esse arbitramur, ut, quantum fieri potest, omni sint ratione instructi; eorum vero, quibus vel demandata est publice docendi prouincia, vel quorum vires permittunt, ut, ad honorem librorum diuinorum tuendum, in traxenda argumentatione, eludendisque nefariorum hominum strophis, omnibus modis elaborent.

Quae sic disputata, ut hoc minus dubitationi locus aliquis relinquatur, ita confirmanda vterius ducimus, ut, quae aduersa nobis esse videri queant, amouere conemur. Sunt ea quidem ita fere comparata, ut non directa acie praesidia nostra, sed oblique petant: attamen perpendisse eorum vim atque potestatem, pro instituti ratione, iuuabit. Hic vero, si quando conscriptum esse pro reuelationis summa dignitate aliquem librum accipiunt, sunt, quos dicere audio, veritatem per se stare, nec defensoribus magnopere egere. Quae loquendi ratio, quum sit subobscura, neque multum ad hanc rem faciat, vereor admodum, ne, quid dicant, ipsi saepe pa-



parum intelligent. Pensitanti autem, dubitationisque huius intellectum exquirenti, commode, nisi fallor, redit in animum illa ratio, qua veritatem inesse in rebus, eandemque, quando perspiciatur a nobis, et intellectui inesse, praecipiunt. Nam quae sunt ipsis rebus tum necessario tum fortuito attributa, vel plane sunt ab iisdem remota, illa quidem omnia sic permanent propriaque ratione persistant, siue videantur ab hominibus, siue securi. Hunc in modum, ut illo vtamur, in quo omnis nostra versatur disputatio, ista religionis praestantia, quae ab auctore deo proficiscitur, constanter eidem inesset, licet nemini mortalium, ponamus enim, dignitatis huius cognitio concederetur. Si hac itaque ratione obiectationem istam interpretamur, ut intelligatur sacrarum literarum auctoritas, qua diuina huic origo attributa est, damus sane hanc sententiam, sed, a questione hac nostra plane alienam esse, contendimus; quum de bibliorum ista affectione, qua cognoscitur a nobis, quaerere instituerimus. Loquimur, ut breuiter dicamus, non de obiectu veritate sed de subiectu. Tum si quis, id, quod verum est, per se confistere suoque robore niti, autem, recte ita decernit, sed nihil affert, quod nobis admodum obstare possit. Confistere enim hoc sensu dicitur illa propositio, quae rationibus iustis suffulta, omnium, qui has animaduertunt, assensum et meretur et plerumque assequitur; de confessariis hic dicimus, non de principiis, quae statim patent. Quod si ad hoc, de quo agitur, negotium transferatur, stare omnino diuinam reuelationis originem, arbitramur, quum ob eas, quibus innititur rationibus, iure probetur iis, qui cum debita easdem mentis intentione perpendunt; id quod nostrae sententiae mirifice fauet, tantum abest, ut conuellere illam queat.

Cum hac, quam tollere studuimus, dubitatione, alia quaedam coniuncta est, quae et ipsa ex veri ratione hominumque non satis intellecta proficiscitur. At, inquiunt, diuina librorum nostrae religionis indoles tam clare patet, ut frustra agat, si quis in declaranda re tam aperta multum laboret. Iam non ii sumus, qui summam reuelationis dignitatem in illustri positam esse loco negemus, putemusque, ita delitescere originis huius documenta, ut sint a nobis velut ex densissimis tenebris eruenda; quin firmiter potius nobis

persuasum est, quae demum cunque produci possint ad hanc rem
stabilendam argumenta, esse illa vel desumpta ex ipsis sacris literis,
vel felici earundem imitatione reperta. Si cui vero haec animo
sedeat sententia, ut, cuius propositionis causae abditae non sint et
occultae, prorsus inutilem esse earum explicationem censeat, ve-
reor, ut accedere ipsis possimus. Sunt enim, cur hoc fieri nequeat,
plures vna rationes. Multa deprehendimus ita esse comparata, ut,
si excidant ex hominum memoria, plurimum periculi relinquant.
Hinc quis neget, earum rerum recordationem, quae scitu sunt et
utilia et plane necessaria, redintegrandam esse saepius, et iterata
causarum explicatione denuo confirmandam? Id in nostra quaesi-
tione vsu venire, maximumque hanc momentum in humani ge-
neris felicitate trahere, multis asseuerare non est necesse. Quem
deinde fugit supinus hominum animus in iis, quae maxime ipsis
conducunt? Tum sane omni enitendum est studio, ne torpori at-
que negligentiae penitus commissi mortales, summum tandem ad-
eant rerum suarum discrimen; sed certis existimandi causis, tan-
quam stimulis, excitati, id omnium firmissime teneant, cui omnis
eorum fortuna superstructa est. Quae bene pensitata, quum ma-
xime inuitent ad causam diuinae reuelationis strenue et fortiter
agendam, est praeterea aliud, quod illis iunctum, multum hoc,
quod laudauimus, studium augebit. Est hic profecto, ut antea
fassi sumus, non difficilis adeo et impedita veri inueniendi ratio;
ast, quantum tricarum apinarumque ad hoc negotium attulerint
versuta profanorum hominum ingenia, inter omnes constat. In eo
enim, ut hoc vtar, argumento, quod ex miraculis ducitur, quan-
tum, quae so, opera sua abusi sunt, ut vel allegorica ratione corrum-
pendo id, quod de iis memoriae proditum est, vel ipsa miracula
dignitate sua priuando, possint, quae vibrantur in eos tela, vtcun-
que euitare. Haec multaque eius generis alia, quantum exerce-
ant doctorum hominum industriam, testes sunt isti libri, in quibus
veri defensionem cum laude suscepereunt, ab omnibus ipsis tribu-
enda, qui dubitationes ab improbis hominibus illatas euelli ex ani-
mo, vtile omnino esse arbitrantur; a quorum sententia, qui disce-
dere aliquis cum ratione possit, plane me ignorare fateor.

Ex



Ex iis, de quibus iam vidimus, alia nec titur dubitatio. Quum enim per se consistere hanc de diuina reuelationis praestantia veritatem, et esse per se adeo apertam dicant, quae absque operosa demonstratione perspiciatur, non bene sentiendum esse de omnibus iis, existimant, qui huic rei non illico constanterque assentuntur. Pessimos dicunt esse homines et plane malitiosos, nec dignos propterea, in quibus flectendis studium collocetur; imo vero frustra laborare putant, qui suam huic negotio curam consecrant. Primum vero scire libenter velim, qua ex causa seuera adeo de omnibus dicatur sententia. Prope nobis videntur ab audacia remoti esse, qui omnes hoc in genere dubitationes malo consilio tribuunt. Mitius fortassis sentient, si qui eius officii, quod de religione studiose examinanda iniunctum est omnibus, fuerint bene memores. Iam, nonne accidere interdum potest, in hac in primis versutorum hominum frequentia, vt callidae horum machinationes impedian bona mentes, vt meticulosae haereant et auxilia circumspiciant? cuius rei sedeant isti arbitri, quorum curae felicitas hominum praecipue commissa est. Si quis autem attulerit aliquid ad illorum confirmationem, nae is praeclaram opem praestiterit. Quodsi deinde plerique malo animo dubitant, nec ii quidem efficient, vt id, quod contendimus, minus ita sese habere arbitremur. Poterunt fortassis apud nonnullos tradita diuinae reuelationis argumenta, vt votorum suorum, qui ista expoununt, compotes reddantur. Spes est profecto, fore, vt quidam, intellectis luculentius grauissimae rei causis, de sua, quam ante fouerant, opinione deiiciantur, quam inscitiae haud raro vnice debent. Quam spem qui vanam esse dicunt et felici euentu carituram, cognoscerem ex illis, cur non ipsi de argumentis a Messia eiusque discipulis allatis abiecte itidem sentiant? Neque tamen pios fuisse dicent, et christianorum sacris rite initiatos, qui tum demum temporis et miraculis, quae effecerat optimus seruator, et aliis causis permoti, neglecta contemtaque paganorum superstitione et amandatis Iudeorum erroribus, conditam missamque diuinitus doctrinam, atque in ipso antiquo foedere significatam, amplexati sunt. Quorum causa quum omni procul dubio explicata sint,

b 2

quo-



quorum praestantium tuemur, argumenta, quis iure nobis indignabitur, illustria adeo exempla sequentibus? At, nouerat, inquis, Messias, quam egregium latura essent operaे pretium, quod nobis non aequē constat iisdem vtentibus. Recte illud quidem; erat enim diuinae cognitionis proprium. Quid autem prophetæ? quid apostoli? nonne et ipsi miraculorum, verbi causa, commemorationem et praedictarum rerum euentus ad hoc negotium attulerunt? Neque erat his, quantum effectura ista essent, certo et accurate compertum. Et, dato illo, vt scilicet ignorare nos dicamus, quid nostra profutura sit opera, tamen et hoc fateamur necesse est, nullam subesse causam, cur, nihil hoc effecturum esse studium, existimemus. Atque hoc quidem modo, tum negata ex parte obiectata nobis sententia, tum semoto, quod inde deriuabatur, consecratio, nihil hic est, quod nos morari diutius debeat.

Iniecta vero miraculorum mentione, non tacite prorsus præteribimus, quod de his moneri forte a quibusdam posset. Putabunt enim, aliam hic esse Messiae, aliamque nostrorum hominum, religionis nostræ praestantiam exponentium, rationem; quum eo quideni tempore produxerit ille miracula, his producere non item datum sit. Atque in eo non multum nos habebunt repugnantes, si quidem id saltem dederint nobis, eundem fere nunc esse miraculorum eorum usum, qui tum obtinuit, quum efficerentur. In quo difficiles esse non possunt, in summam intuentes fidem, qua literarum monumentis sunt consignata. Quam enim aliquando narrata est auctoritatem religio, perpetuo manebit, quum ex eodem semper fonte deriuetur. Hoc licet non sit obscurum, potest tamen et aliunde intelligi. Putamus itaque, propter hanc praecipue causam miracula illa ad nos perscripta esse, vt et sciremus, quo potissimum modo hominibus se probauerit Messias et haberent posteri, quibus ipsi, diuinum praceptorum sequuturi, constanter inniterentur. Ultimum si demiseris, mediocris erit transmissi ad nos huius nuntii utilitas. Pertinet huc, vt omnis tollatur dubitatio, quod apud Ioannem exstat (c. XX, 31.), perscriptorum miraculorum consilium aperte declarans.

Atque



Atque haec fere erunt, quantum nouimus, quae ab ipsius reuelationis argumentorumque hanc stabilientium ratione parum iusta ratiocinatione deducta, dici contra nos possunt. Ne vero in hoc negotio minus integre videamur esse versati, persequemur et illa, quae, tanquam per experientiam cognita, superuacuam esse pro diuina reuelatione argumentationem, luculenter, ut putatur, indicant. Constat dicunt inter omnes, non tolli ex mundo religionis contemptum, scriptis aduersus impietatem libris, sed reperiri nihilo minus profanos homines, qui eo, quo fas erat, modo, suspicere caelestem doctrinam, detrectent. Quod licet videri possit non bene cum sententia nostra conspirare, immo dissuadere potius hoc demonstrandi studium, non est tamen, cur animum hic despondeamus. Efficiet enim argumentationis cuiusuis cum humana mente instituta comparatio, ut facile nos ex his tricis explicare possimus. Nouimus, ratiocinationem omnem tum demum animis hominum persuaderi, quum sedulam illi mentis intentionem afferunt, et procul habent omnia, quae hic impedimento esse queunt, obstacula. Quod quum aliter saepe accidat, non difficulter inde impietatis multorum causa peruidetur. Tanta quippe praeiudicatarum opinionum vis est atque pertinacia, ut inhaerere iisdem plerumque homines, quam, perspecto vero, mittere, malint, quae adhuc vera esse putauerant. Cuius rei ratio non fugit forte illos, qui eam in stolida quadam vel suae vel alienae sapientiae persuasione positam esse arbitrantur. Quod quum multos queat a veri cognitione abducere, est praeterea et alia quaedam ratio, quae plures mouet, ut pertinaciter in errore persistant. Nam, quod et ipsa philosophia docet, ultiote cuius meliorem partem ad emendationem animi, qualis ea effici naturae viribus potest, compositam esse scimus, misera est haec humanae mentis conditio, ut opiniones lubrico illas quidem fundamento superstructas aegerrime deponamus, quae id permittunt, quod breui parumque sincera voluptate animos nostros permulcat. Sic, quum sensibus omnia fere aestimemus, errori cum iucunditate aliqua coniuncto, verum, cuius ad omnem felicitatem dicit cognitio, solemus plerumque posthabere. Ex quo aequa consecutione relinquitur, propositi veri contemptum audientium



legentiumque fastidio, non ipsis praeipientibus, persaepe esse tri-
buendum, quum veritatis persuasio non necessitati subiecta sit,
sed ex hominum voluntate magnam partem pendeat. Neque secus
in causa nostra sentiendum esse ducimus. Quum enim haec com-
muni fortuna cum omni vero vtatur, neque tamen vniuersae ve-
ritatis patrocinium negligendum esse propterea existimetur, quod
non omnis errantium familia consilium mutat, poscimus, vt eadem
aequitate de eorum, qui pro reuelatione pugnant, curis, feratur
sententia. Ut itaque ad responsonis huius terminum veniamus,
confitemur omnino, non extinctam esse temerariorum hominum
nationem; sed, si quis idcirco omnis argumentationis pro diuinis
sacrarum literarum natalibus negare vtilitatem ausit, hic et persuad-
endi modum et iudicandi assentiendique libertatem, quae co-
actioni non subiicitur, neglexisse dicendus est.

Non faciunt hic, qui dissentunt a nobis, dubitandi finem, ea-
que pergunt ratione contradicere, quae grauior esse videtur et ma-
gis reformidanda. Quo plures, inquiunt, ad subruenda impietatis
fundamenta et ad conseruandum reuelationis honorem, suscipi-
untur ab eruditis hominibus demonstrationes, hoc magis augetur
irreligiosorum numerus. Cuius dubitationis ambiguae et late pa-
tentis quum plures vna possint esse interpretationes, videamus de
singulis breuiter. Prima haec est, vt maiorem significet profano-
rum hominum copiam his nostris esse temporibus, quae et viros
tulerunt quam plurimos, eximiam patefactae caelitus doctrinae di-
gnitatem et oratione et scriptis praecipue libris demonstrantes.
Iam, quamuis non id agamus, vt patrocinemur eorum audaciae,
constat tamen, antiquissimas esse impietatis origines, nec defuisse
vlla aetate, qui improbe adeo ingenio suo sint abusi. Sed sit ita sa-
ne, vt, frequentiorem esse hoc tempore infausti generis prouen-
tum, credamus, nil illud ad reuelationis patronos pertinet, siquidem
de tempore, non de causa, iam fuit quaesitum. Quodsi autem
causam notant, haec enim altera est, quae allatis antea verbis for-
te continetur, sententia, videant, ne periniqui habeantur rerum
aestimatores. Cui enim persuaderi vel probabili aliqua argu-
mentatione poterit, vt, quo plures reuelationem commendent,

eo



eo plures existere inimico in eam animo affectos, arbitretur, ita, vt hi illis tanquam vitiosa quaedam et infelix progenies debeat. Profecto, veri rationes accurate in medium propostae non id efficient ipsae, vt ad errores reiiciatur; nisi quis forte in animum inducat, posse eadem et demonstrationi eiusdem rei et reprehensioni pariter inseruire. Postremo, ne quid dissimulemus, posset et haec allatae orationi subiecta esse sententia, vt sedula librorum sacrorum dilaudatione irritari et prouocari putarent defensitantium errores suos contentionem. Et notum est, arripi hanc ab ipsis hominibus occasionem omne acerbatis suae virus in sanctissima oracula euomendi. Ast haec impietas non debetur numinis causam dicentium neque consilio neque demonstrationi, quae eo pertinent, vt supprimatur eadem, et fieri per hominum indolem posset, raditus tollatur. Illi vero, quos excitos furere diximus, multum faciunt inuiti ad veri declarationem. Etenim argumentorum virtute pressi, anxie praefidia circumspiciunt, iisque, quae posse aliquid videbantur, priuati, delabi ad multum infirmiora solent, vt inermes tandem et omnibus opibus exuti compareant.

Quodsi fint denique, qui magis obesse christianaee rei, quam succurrere putant eos, qui minus recte instructi ad demonstrandae bibliorum dignitatis officium accedunt, non illis vehementer repugnabimus. Id vero quum non ipsius argumenti, sed hominum imperitorum accidat vitio, absque multa explicatione poterit hic a nobis dimitti.

Quum itaque, de quo paucis disputauimus, studium, egregios hominibus usus afferat et grauissimum sit maximeque arduum, optant omnino, qui sacris rebus bene cupiunt, vt abstineant ab hoc negotio, qui impares tanto sunt labori, iisque committant, quibus cum diuino ardore et feruenti veri studio excellens doctrina atque summa docendi differendique dexteritas inest, talibus, inquam, viris, quem te, VENERABILIS WEISI, omnes, qui iudicium hac in re ferre possunt, cognitum diu perspectumque suspiciunt.

Cui



Cui ergo libentiori animo, quam **TIBI**, haec, quae breuiter differuimus, examinanda traderem? Spero enim, fore, ut, si quando definiendo, demonstrando, atque reprehendendo aberravero, emendanda significes, efficiasque, ne qua in re sim a vero alienus. Nusquam enim me ab itinere deflexisse, absit, ut dicere audeam. Evidem praclare de me actum esse existimabo, si non displicuisse **TIBI** accepero vnicum scriptionis huius consilium, quod eo comparatum est, ut sit aliquod deditae mentis argumentum, quale proficisci ab homine parum diserto potest. Et profecto, nisi sola tantum potuisset pietas, ut ad hoc qualemque scribendi negotium, neglecta, quae aliud suadebat, mediocritatis meae conscientia, duxerim accedendum fuisse, nunquam eo processissem audaciae, qui tacere malo, quam iuuenis eruditio[n]is nescio cuius specimina in publicum protrudere. At, quantam **TIBI** debeam, **VIR SUMME REVERENDE**, offeruantiam, eam iure vereor, ut nunc, et vlo tempore, valeam pro dignitate eloqui. Tot enim sunt benevolentiae **TVAE**, succedendi quasi iure in me translatae, insignia documenta, ut, recensendis illis prorsus me imparem esse, confitear. Sunt maxima fati, et multitaria, et aeterna gratulimaque recordatione dignissima; quam me et conseruaturum esse, et, quacunque demum fieri ratione possit, demonstraturum, sanctissime voueo.

Iam vero laetus immisceor plaudentium coetui, qui, ut faustissimum **TIBI** eueniat nouum grauissimumque decus, publice precantur. Iubeat cum omnis tum reuelatae et in sacro volumine perscriptae veritatis auctor, esse **TE** omni felicitate ita cumulatum, ut, per continuatam multorum annorum feriem, **TE** doctore vehementer laetetur euangelicorum ecclesia, fidissima oraculorum caelestium conseruatrix. Habebunt tum, quo secure nitantur, sanctiores literae, **TVI** sincerae voluptatis vberimas causas, omnes, quod imitentur, religionis exemplum.

LIPSIAE

EX OFFICINA BREITKOPFIANA.





Landesbibliothek Oldenburg



Landesbibliothek Oldenburg